

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA"

VARSAVIAE POLONORUM VARSVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15 Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Annus MDCCCCV.

De dissidio inter Galliam et Apostolicam Sedem edita documenta.

De hodierna arte querelae.

Nivalis trahea vulgo *Stitta*.

Varia latinitas. - Paroemiae sive adagia de amicitia.

De Poesi. - II. Poeticae facultatis natura.

Ex Hispania. - De musica sacra apud Hispanos.

Ad grammaticae quaestiunculam responsio.

Acta Pontificia. SS. D. N. PII PP. X Litterae in forma « Brevis » de Opere a « prae-servacione fidei » nuncupato.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Diarium Vaticanum. Pontificiae electiones. - Vita functi viri clariores. - Varia.

Per Orbem.

Annales: Algeciranus coetus. - Ibericae regales nuptiae. - Gallorum novus praeses. -

Venezuelani errores. - Hungaricae res. - Russici motus.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Libri recens dono accepti.

Aenigmata.

Epistolarum commercium.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia IOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis
aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCC VI

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVI.

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italianam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5;
March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mitten-
dum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS,, POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

Cuique ex subnotatoribus tum in Italia, tum apud exteris
gentes, qui ante expletum Fe-
bruarium mensem pretium uti supra mittat, facultas erit retinendi decimam
partem ipsius pretii.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum
subnotationis mi-
serit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium
mensem – bi-
bliopolis exceptis – dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra,
eodem iti-
nere gratis omnino fruetur.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

ANNUS MDCCCCV.

Ut peregrino viatori frequens afferit solarium diuturnum per iter praeteritae viae cursum dimetiri, ita homines iuvat tum publicatum privata gesta quotannis recolere, ut novam ex iis experientiam rerum gerendarum hauriant; cuius causa illud a sapientibus effatum deductum est: « Historia magistra vitae ».

Cui perutili sane consuetudini assueti ne defecisse hoc anno videamus, res publicas tum per Europae fines tum per reliquias Orbis partes summatim resumere iam dum annus interiit, dumque surgit novus, tempus monet.

Quae multa quidem satisque gravis pondoris fuere ab ipsa Arthuri portus ditione, quae finem immanis belli, ultimo in Oriente iamdiu agitati, quodammodo praenunciavit. Nam Russorum imperii eventus maxime annum ita turbarunt, ut omnes excultaes gentes nil aliud spectaverint quam quod inopinata fortuna veteri Moscovitarum regno pararet.

Capo enim Arthuri illo portu, infelix in dies fatum Russorum decidit. Mukden enim, vel ad Liao-yang proelia incredibilem fere militum multitudinem cruentatam viderunt, quorum quingenta fere millia armorum vi occubuerent. Neque tamen heic finis: optantibus enim Russis navalem iterum fortunam experiri, ad Touchima pugna Iaponiis in undis ultimas eorum spes clade suprema demersit.

Tunc tandem de componenda pace cogitatum, quam profecto, non sine utilitate, Rooseveltio Americanae foederatae reipublicae praeside intercessore, Porstmouth in urbe a victoribus aemulis Russi obtinuerunt. Brevis autem insolitae commoditatis stupor; quum fere statim Iaponiorum iterum Anglorumque foedus est innovatum, quo maritimum orbis imperium sibi unice quasi utraque gens vindicavit. Quinimo, in ipsis imperii finibus, immanis seditio simul lateque flagravit Petropoli, Baku, Moskoviae, Kievii, Sebastopoli, Varsoviae, Wladivostochii, Rigae, Kronstadii, vel per Armeniorum, aut per Finlandensem fines. Neque tantum incendium vis ulla, vel constantia optimatum, aut ipsius Caesaris cohibuit; quin etiam ipsi milites, bello reduces, sive acceptae clades dedecore, sive quietis desiderio, sive factionum animo moti heic illic a vexillis defecere, seque perduellibus immiscuerunt; alias autem, ut Sebastopoli accedit, nautae ipsi navigia imperii diripientes in rebellionem insurrexerent. Tunc itaque civile bellum ubique exarsit, quod com-

pescere Caesaris decretum minime valuit, quo ius suffragii populo delatum est, ut suos legatos eligat qui leges ferant. Res dum scribimus adhuc inquietudinis plena; neque pacis tutaspes illucescit.



Dum vero maximum Europae regnum labefactatur, magna ultimo in Oriente confirmatur Iaponiorum potentia atque vis, qui iamiam suo in arbitrio totius Asiae fatum non mari tantum tenere videntur. Corea enim atque Liau-tung regione captis, suos fines duplarunt; Mandchouriam denique latissimam provinciam suaetutelae addixere.



Post haec permagni momenti visae sunt Austrorum Hungarorumque discordiae de Hungaria lingua pro Hungarico exercitu adhibenda motae. Quum vero de dividendo imperio iam consilia agitarentur, iterum compositis animis, non sine magna ipsius Francisci Iosephi Caesaris laude, pax revirescit. Quae si obtineatur multae sane grates Fejervaryo dynastae, viro prudentissimo communis publicae rei gestori, habendae erunt.



Suedorum superiore anno regnum abscisum in duas partes vidimus; sed nulla clade, at mutua pactio proposita atque accepta utrinque, qua Danorum regis filius alter, Haakon suorum lingua nomine, Norvegorum regnum adeptus est.



Galliae domestici eventus nil gravius habuere, quam lata lex de Ecclesiae regimine a reipublicae ambitu omnino seiungendo. Omnem per annum una fere hac de re legati populares disceptarunt, quam tandem Senatus quoque novissimis comitiis ratam habuit. Romana autem Sedes documentorum edito libro huic legi respondit, quo Gallorum culpae satis superque probantur.




Hispani, Italorum exemplum sequuti, ad restituendas, post novissime acceptas clades, publicas divitias omni conatu adlaborarunt; iamque oculata prudentia fecerunt, ut multam pecuniam cumulaverint, qua suas vires brevi reficere poterunt. Alfonsus autem rex ter quaterque itinera per varia Europae regna suscepit, laetissime ubique exceptus, eumque sibi cum Victoria Battembergia e domo, Anglorum regis nepti, nuptias parare dictitant.

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

In Turcarum litore diuturna satis quiescuit. Bysantini enim regis novissima contumacia facile brevibus minis superata est; Cretae insulae seditio nullis fere armis composta; Serborum atque Bulgarorum auctas publicas opes longa quiete vidimus, et Montis nigri regnum libertate suffragii donatum. Graecorum unica Rumenorumque brevis discordia, bellum tamen nullum peperit; spes immo illucescit fore ut brevi componatur.



Unus restat, sed gravissimus, qui ex Mauritania exsurgit metus. Novissime enim ita flagravit res, ut Gallos inter atque Germanos bellum prope exsurrexit; sed omnis discordia tandem communi consilio resolvenda melius visa est si coetus legatorum, ex singulis gentibus, quarum interesset, cogeretur. Coetus itaque Algeciras in urbe convenit; unde si bellum oriatur culpam contra Germanos praecipue convertent plures, quum sibi parare armis victoriandum tum propter invidiam in Angliam aut Americanam, tum ob Gallorum odium antiquum, visi ipsi fuerint. Quae tamen tristia auspicia benignus auferat Deus.



DE DISSIDIO

INTER GALLIAM ET APOSTOLICAM SEDEM

EDITA DOCUMENTA.

LIBRI, quem album vulgo nuncuparunt, atque de supremo inter Ecclesiam Gallorumque rempublicam dissidio Apostolica Sedes imprimi curavit, rationem praefatio summatim complectitur. Publicata enim die XI superioris mensis Decembris lege de seiungendis Ecclesiae rationibus a republica, in populum vulgari necessarium visum est documentorum testimonia quomodo res ex una et altera parte processerint, ut denique aperte deduceretur supremam illam legem, non totius gallici populi, sed perdita cuiusdam factionis labore et opus fuisse, cuius modo asseclae malos suae audacie fructus ita pertimescant, ut eius culpam non sibi, sed Apostolicae sedi potius adscribere omni visu contendent.

Hanc ut calumniam repelleret Apostolicae Sedis mens fuit edendi librum. Cuius prima pars assiduum recolit certamen a summis Galliae rei administris supremo tempore in Ecclesiam susceptum, altera vero improba in

Petri Sedem iacta refellit; postrema, quasi «appendicis» modo, de Gallorum patrocinio in Christicolas, qui Orientis regiones incolunt, nonnulla attingit.

Itaque ad evinciendam ante omnia Combesii illius supremi reipublicae administris impiam voluntatem, tum verba eius in Senatu anno iam M DCCCCIII, tum in legatorum popularium comitiis anno M DCCCCV ineunte pronunciata referuntur, tum quae ipse de seiungendis omnino Ecclesiae a reipublicae partibus in diario *National Review* evulgavit. Ad rem legem de approbandis reipublicae auctoritate sodalium religiosorum familiis a Waldeckio Rousseau rogatam ipse omni ope corrupit, quamvis saepe saepius Leo XIII suas protestationes ediderit, ac sodalitiis nondum approbatis suaserit ut reipublicae beneplacitum expeterent. Quum enim sodalitia haec fere quingenta eam approbationem petiissent, omnia simul reiecta sese videbunt uno eodemque suffragio ac nullo examine. Eiquid tamen? Nonne dominicanis vel franciscalibus sodalibus, qui apud barbaros missiones exercent, nomen vestemque mutandam respublica, ne eorum operam in longinquis regionibus abiiceret, suaserat?

De abolenda religiosarum sodalitatum dendri potestate lata lege die VII mens. Iulii a. M DCCCCIV, quomodo res gesta fuerit ex Apostolico libro inde discimus. Neque enim ad tantam iniquitatem cohibendam epistolae Pii X et Leonis XIII ad Loubet praesidem valuerunt, neque protestationes a Pontificis legato editae, neque ipsius Waldeckii Rousseau litterae, quas ad Delcassé administrum die XVI mens. Augusti anno M DCCCII ille misit, neque verba, quae die XXVII mens. Iunii anni insequentis in Senatu protulit.

De lege foederis tertio disseritur, quod Napoleone I° imperante, cum Pio PP. VII compositum est, quod tamen, additis codicillis quae «articulos organicos» vulgo nuncuparunt, ita corruptum fuit, ut reipublicae tantum prodesset. Quae codicilla contra Pii VII placitum data sunt atque contra pactionem, qua ipse consenserat, ut Lutetiae Napoleonem coronaturus veniret. Ad rem ipsius Tayllerandii administris sponsio evulgatur, quam legato Pontificio fallax ille vir tradidit, ut Pontificem Lutetias adduceret.

Mox de rationibus Ecclesiam inter atque Galliam agitatis diu liber scribit. Primum vero ex celeberrima Leonis XIII epistola die XVI mens. Ianuarii a. M DCCC LXXXIII data, ad Episcopos atque fideles Galliarum, Romanae Sedis doctrina de vario rerum publicarum regimine recolitur atque ex encyclicis litteris quae sequenti Februario mense datae sunt. Data pariter die Maii mensis tertia, epistola ad Cardinales Galiae revocatur, quae eadem documenta iterabat.

Sed de eligendis episcopis acerrima disceptatio erat inter reipublicae magistratus atque Sedem Romanam, quam illi arguebant quasi pactum foedus conculcasset: «albus» contra liber, postquam iura atque munera quae ad utramque partem spectabant memoravit, res gestas deinde iuxta veritatem exponit.

Sequitur alia discordiae causa, eaque gravissima, ratione itineris a Loubet praeside Romam suscepti. De hac, postquam liber monuit alien-

num omnino a Romanae Sedis sententia fuisse renovatam Gallorum Italorumque amicitiam improbare, arguit maxime tamen gravem sibi eo itinere offensionem inlatam a summo catholicæ gentis magistratu, qui usurpatum Ecclesiae dominium sua visitatione quodammodo ratum habuit atque pro abstractore probavit. Huius autem visitationis exitus denique fuit, ut legati hinc et inde tum Roma tum Lutetia revocarentur.

Postremo de novissima frangendi foederis occasione sequitur liber; de inquisitione dicimus contra Divionensem atque Lavalensem Episcopos initam. Cuius causae vim in miserrimo eventu hisce tandem liber complectitur, «Gallorum rempublicam suam cum Apostolica Sede communionem, a saeculis vigentem his de causis, non rationabilibus quidem obtulisse, I° quia ipsa Apostolica Sedes Lavalensem Episcopum Romam vocasset ut pro tribunali a gravi criminis ecclesiastico sese purgaret; II° quia Legatus Pontificis Vivionensi Episcopo mentem Pontificis notam fecisset ut a sacris ordinibus conferendas abstineret».

Sequitur haec omnia, appendicis modo, ut innuimus, dissertatione de tutela fidelium Ecclesiae Gallis apud barbaros tradita. Hanc enim tutelam maximi semper ponderis reipublicae praesides habuerunt, neque eam ullo pacto amisissent. Res enim tum honorem praecipuum Gallicis legatis præ ceteris gentium legatis tribuebat, tum ius protuendi Christifideles contra barbaros, qui in eos infesti quidquam ausi essent.

Quum vero multi Gallorum publici oratores hoc sibi ius non a Romano Pontifice traditum asservissent, sed a foederibus varia aetate cum exteris gentibus pactis, hanc assertionem liber omnino refellit. Primum enim quoad Turcas, ut foedera illa Gallis ius praecipuae tutelae concedunt, ita et Germanis et Anglis et aliis, varia aetate gentibus, tradidere. Vanum tamen ius, quum qui protegantur desint; atqui nisi Catholici fuerint Evangelii praecones, quos Sacra Propaganda Fidei Congregatio, item anno M DCCC LXXXVIII monebat ut Gallica sub tutela essent, tutandi homines nulli erunt. Idem fere de Sinensi imperio atque de finitimis regnis dicendum est: Sinenses enim tum catholici, tum christicolae omnes, pacto cum imperatore anno M DCCC LVIII foedare, Gallicae tutelae subiiciuntur.

Verumtamen nisi has concessiones Apostolica Sedes complevisset frequentibus monitis ad Evangelii operarios missis, ut Gallicae tutelae suis in necessitatibus confugerent, vanum ius omne atque vana tutela evasisset. Quamobrem abruptis Gallorum cum Ecclesiae factionibus illud sequetur lamentabile sane fatum, ut qui tum per Turcarum terras, tum per Sinarum imperia christicolae morantur, iam non ad Gallos legatos, sed ad suae cuiusque gentis se addicant, Gallorumque auctoritas eas per regiones longe minuatur.

Haec per barbarorum terras futura liber ille iam metuit; per Galliam vero quid utile futurum sit reipublicae vetera foedera confregisse, brevi forte populi omnes videbimus.

DE HODIERNA ARTE QUERELAE.

UT reliquæ humanae res, ita artes quoque liberales varios vitae progressus perfecere: infantes enim quum vix movissent pedes, adoleverunt paullatim, tantumque postremo verticem arripuerunt, quantum vix sperarent.

Graecorum haec et Romanorum opera probant; neque tamen populi omnes, qui aliquam consequunti sunt humanitatem pari modo eos vertices arripuerunt.

Quidam immo eamdem semper suorum operum speciem exhibent eamque saepe, ut Indi, horridam ac deformem. At Graeci pulchrarum rerum ita foverunt cultum, ut formam perfectam uni in antiquitate arripuerint. Horum itaque operibus primum, mox sanctae religionis afflatui tantos artium liberalium progressus tribui oportet.

Sed progressus huiusmodi non citus neque perturbatus, sed lentus et continuus per historiae paginas legitur. Quod si quandoque perruptus est, forma liberalium artium brevi cecidit. Quae quisque videre poterit, qui Graecorum artem cum primis Christianorum operibus comparaverit, quorum prima pulcherrima forma enitent, rudis altera, incompta, infecta apparuit.

Sed hanc quoque discepantiam historica fata volvere. Nam Christi doctrina eiusque Evangelium adeo paganorum omnino mores commutauit, ut novos fideles a maiorum traditione omni paene divulserint; qui vivendi genus, et modos quum immutassent, artium quoque liberalium novam formam sibi effinxerunt: haud enim coloribus et forma uti Christi fideles poterant eodem modo, quo infideles illuc tenus Iovem Veneremque repraesentaverant.

Sed neque hisce satis; nam barbarorum supervenientes incursiones omnem civilem orbem ita perturbarunt, ut bonarum artium omne studium paene deleverint. Ea de causa praecisum est artium liberalium iter, remque oportuit nepotibus omnino ab initio repetrere.

Duplicata igitur via, nova Christianorum ars, rursus per infantiae et adolescentiae aetates progressa, suas formas paullatim expressit, atque Evangelii mysteria ritusque suos varie effinxerunt.

Nova via hisce modis inita, cursus deinde crevit et auctus est, qui per subsequentia saecula eum verticem arripuit, qui Graecorum operibus longe supereminet.

Hoc fato Christus Reparator orbis non tantum ab idolorum servitute mundum vindicavit; verum etiam eas operas pulchritudinis hominum in mentibus excitavit, quas numquam antea maximi artifices suspiciati fuerant.

Iuxta enim divinam eius doctrinam artes quoque liberales divinae factae sunt: hinc aurea saecula orta, quae christianorum templorum prodigia viderunt, quaeque adhuc nostra aetate universae gentes obstupescentes admirantur; iisque divitiis musea nostra et pinacothecae ditata. Quamvis autem saeculo XVII oriente post Bonarrotii vestigia artifices omnes vias suas corruperint, brevi aetate amentia illa expleta est. Rei enim maxime mederi visa est Napoleonidum aetas, quum graeca rursus specimen artificibus sunt proposita. Tunc rediit et quodammodo revixit veterum operum existimatio, atque venerandae antiquitatis imitatio iterum suscepit.

Verum novissima aetate nova artibus singularis corruptela imminet. Ut enim maiores nihil tentabant, nisi auctoritate magistrorum suadente eorumque exempla imitantes, ita hodie effraena licentia, quae mores utique depravat et in magistros et magistratus convertit, artium quoque liberalium artifices ad omnem amittiam compulit. Qui quum certatim adlaborent ut inconditos modos inveniant et sibi proprios, neque omnes eadem ingenii copia ditati divinitus sint, incompositas res et inanes edunt, quas nemo cordatus laudet.

Eam denique corruptionem magis fovet ho- dierna pecuniae cupiditas; qua quis abductus tantum patrat opus, quantum pecunia pactus est. Mecenas enim artium iam nullus habetur, operumque bonorum quasi commercium efficitur, ubi non tam optima species quam citus labor et promptus, et qui magis quovis pacto oculos percellat, maximam pecuniam lucrantur.

Quae postrema corruptelae causa iam ne- scimus quomodo auferri possit, nisi ad tan- tum opus futuri artifices, Christi praecepto in artibus quoque obsequentes, puris manibus et tuta conscientia accedant.

I. A.



Nivalis trahea vulgo *Slitta*.

*Non rotis semper volitare currus
Credite, experti; nivibus caducis
Dat solum aequatum quasi sponte labi
Mobile pondus.*

*Nostra non cervos habiles doceri
Antra producunt, sed onusta lento
Corniger gressu patiens laboris
Plausta revolvit.*

*Quique sessorem recipit superbum
Nobilis dorso sonipes amico,
Non timet fortis trahere alligatum
Pectore currum.*

*Nunc via exposcit superanda molem
Semitae ignaram; neque plana binos
Imprimet sulcos facilis moveri
Partibus aequis.*

*Irruet praeceps celeri volatu,
Acrius current solito iugales,
Possumus nostra sapienter uti
Sorte beati.*

*Concavo iungas duo ligna flexu
Circuli quartas imitata partes,
Inde transversis medio ligabis
Utraque lignis.*

*Hic domus sedem tibi parva praebet,
Clausa si mavis, vel aperta ventis,
Mollis excussas parat hic sedenti
Culcitra plumas.*

E. D. A.

VARIA LATINITAS

PAROEMIAE SIVE ADAGIA DE AMICITIA (1).

Amicitias immortales esse oportet. — T. Li- vius lib. X de bello Macedonico et Asiatico, cuius fragmentum debemus aureae Magontiae, scribit: « Vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit, amicitias immortales, inimicitias mortales esse debere ». Recte quidem — explanat Manucius — admonet proverbium; ve- rum eo redire mores mortalium, ut simul- tates sint immortales, amicitiae plus quam vitreae . . . ; omnium tardissime senescat ira, benevolentia ad quamvis levem occasionem in- tereat; quae si sarcinatur nequidquam coit, et rescinditur. In hanc sententiam citat carmen Aristotelis (*Rhetor.*, II) quod superius retulimus, non esse amicum quisquis amare desierit; citat ibidem et alterum carmen: Αθάνατον ὄργην μὴ φύλαξτε θυητὸς ὁν, h. e.: *Ne ma- neat immortalis ira te penes, mortalis ipse quum sies.*

Amicus certus in re incerta cernitur. — Mar- cus Tullius in *Laelio* senarium hunc ex Ennio citat proverbii specie; quo significatur amici fidem in rebus adversis explorari. Nam quod cum periculo coniunctum sit, id dubium appellant, pro quo Ennius posuit incertum, affectans ἐναντίκσιν et προσοροματίχη, quibus schematis impendio delectatus est; atque adeo non ipse solum, sed et omnis illa aetas usque ad M. Tul- lium. Plautus item eum amicum pronunciat, qui in re dubia iuvat.

Felicitas multos habet amicos. — Simillima sententia haec illi: « Felicibus cognatus est vel quilibet », notior est quam ut requirat inter- pretem. Contra in rebus adversis, ait, nulli aut pauci amici sunt. Pindarus in *Nemeis* (Od. X):

Οὐκέται τιμὴ φίλων τατωμένῳ
Φωτὶ, παῦροι δὲν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν
Καράτου μεταλλαχθήνειν.

Id est: « Perit honor amicorum afflito viro, paucique in rebus adversis fidi mortales ad laboris societatem ».

Fervet olla, vivit amicitia. — In amicos vul- gares sententia quadrat, quos patina, non be- nevolentia conciliat. De eiusmodi Iuvenalis:

Te putat ille suaे captum nidore culinae
Nec male coniectat.

Hos arcanae litterae mensae amicos nomi- nant, et Plutarchus id genus hominum αὐτο- ληκύθους καὶ τραπεζέας vulgo dici solitos narrat, quod ventriculi cibique causa diligent, non ex animo; quique tum praesto sunt, quoties audiunt κατὰ χειρὸς ὕδωρ. Nam Aristophanes grammaticus apud Athenaeum (lib. IX) tradit lotionem manuum, quae praecedebat caenam vocari κατὰ χειρὸς α ταῖνα νίψαθαι. In eosdem, ni fallimur, dictum est illud a Menandro comicō, citante Athenaeo: « Manibus ut data est aqua, haerent tunc amici maxime ».

Lingua amicus. — Ille dicitur qui verbis ostendit, non re praestat beneficium, aut qui non

(1) Cfr. an. VIII, num. X.

amat ex animo, sed benevolentiam oratione p[ro]ae se fert. Quod genus inducitur Candidus apud Martiale, et apud Theognidem in sententiis: « Sic facito, ut lingua cunctis videaris amicus; at factis cave te cuiquam misceris ». Idem alias: « Nec me diligo verbis, quum mens alibi sit »; et: « Ne lingua mihi quis amicus; sed mage facto »; denique: « Res per- difficultis quidem amicus, quia multi sunt, atque adeo cuncti paene, salute tenus ».

Thericlei amicus. — Dictum in bibos; Thericles enim primus excogitavit poculum, ut citatur auctor Eubulus. Dictum est autem in- ventum inventoris vocabulo; siquidem Graeci vitreum poculum θηρικλείον vocant, auctore Suida. Fertur apud eundem illud quoque: Θη- ρικλέους τέκνον κάλιξ, h. e.: Thericles filius calix. Huius dicti auctorem citat Athenaeus Theopompum in *Nemea*; sed plura super hac re prodidit Athenaeus (lib. XI) affirmans Thericlem Corinthium quempiam aetate Aristophanis comici fuisse figulum, qui nova arte primus e terebintho tornatile poculum finxerit, quod a fielibus non potuerit dignosci; cuius rei meminit Theophrastus in libris de plantis. Poculum erat satis profundum, auriculis brevibus, ut ad ilia gestari posset, ad uteri ef- figiem imitatum, quemadmodum refert idem Athenaeus. Alii malunt thericleum dictum quod ferarum (θηρίων) pelles illi fuerint insculptae. Pamphilus Alexandrinus mavult hinc dictum quod Bacchus hoc poculo libans feras extur- bare solitus esset. Sed nominis controversiam relinquamus. Illud constat eiusmodi poculi ge- nus postea dictum thericleum, insuper et cra- teres dictos thericleos. Similiter et intus lignea, foris inaurata pocula, nihilominus thericlea vo- cata, quae Callimachus χρυσόκλειστα dixit; imo quidquid novo artificio reperisset aliquis, thericleum appellabatur. De patinis thericleis meminit Plutarchus (*Apophthegmata Scipionis minoris*) tamquam de re singulari ac pretiosa.

Viri infornati procul amici. — Paroemia notat mores amicorum vulgarium, qui hirundi- dinum ritu, pro ratione temporum advolant ac devolant; advolant ubi res secundae, devolant ingruente rerum tempestate. Aristides in *ora- tione Panathenaica* nominatim adagii titulo usurpavit, at proverbium invertit. Declaravit enim haudquam esse procul amicos eius cui res sunt adversae, verum etiam multis, qui antea dissidebant, in rebus afflictis sibi reddi amicos. In hanc sententiam exstat et antiquus senarius, qui sonat: « Felix amicus nullus in- felicibus » itemque alter: « Ut ignis aurum, amicum ita tempus arguit ». Ad hanc senten- tiā palam allusit Cicero (*Epist. famili.*, IX): « Nam etsi non facile diiudicatur amor verus et fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit. Cetera sunt si- gna communia ». Horatius:

Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Passim habentur amici qui petant; qui dent perpauci.

Non sunt amici, amici qui degunt procul (Τη- λοῦ φίλοι νοίοντες οὐκ εἰσὶν φίλοι). — Hanc pa- roemiam recenset Athenaeus (*Dipnosoph.*, IV), eamque omnium inhumanissimam vocat, quod absentium amicorum memoriam obliterate vi-

deatur. Est omnino ex amicis qui adsunt uberior amicitiae fructus propter officia mutua consuetudinemque quotidianam. Praeterea vulgo fit ut, simulatque e conspectu necessariorum seiuncti sumus, obrepatur oblitio quaedam familiarum, ut id iam omnibus in ore sit, « qui semotus sit ab oculis, eumdem ab animo quoque semotum esse ». Aristoteles (*Moral. Nicomachior.*, VIII) fatetur locorum seiunctionem non dirimere quidem amicitiam, sed tamen officia interrumpere. Et quoniam vulgus amicitias utilitate probat, sublatis officiis, velut alumnis amicitiae, amicitia quoque emoritur. Proinde Terentianus Chremes in propinqua amicitiae parte ponit vicinitatem; nec abludit hinc Propertius (lib. III):

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Quamquam non appareat quam ob rem Atheneo videatur adagium usque adeo ab humilitate alienum. Quandoquidem – ut opinatur Manucius – non tam docet quid nobis faciendum sit, quam admonet quid vulgo factitetur. Quorum autem quemque reperias amicum tam certum, qui, si absis, non sui dissimilis esse incipiat? Proinde proverbio hoc, veluti Delphico gladio, utrolibet pacto utaris licebit: ut intelligas aut non esse fidendum amicis, qui longo locorum intervallo seiuncti sunt, aut non esse colendos amicos longinque dissitos, unde non queas multum sentire commoditatis, sed eos potius, quibus praesens presentibus fruare.

Multas amicitias silentium diremit. — Admonet adagium assiduo convictu ac frequentibus alloquiis necessitudines ali, intermissione et absentia dissolvi. Meminit huius Aristoteles (*Moral.*, VIII): « Quod si diurna fuerit absentia, videtur et necessitudinis oblivionem afferre; unde dictum est illud, multas amicitias silentium dirimere ». Ab Aristotele quoque citatur integer heroicus, qui latine sonat: *Plurimum amicitias solvere silentia ruptas.* Apud Atheneum autem (lib. V) citantur ex anonymo poeta versus hi, quos latine reddimus: « Non diu amicorum mensis decet abstinusse; quippe animi memoris res haec renovatio bella est ». Figuratus, atque ob id ipsum elegantius est illud Alphii foeneratoris dictum apud Columellam: « Bona nomina nonnunquam mala fieri, si nunquam interpellas ». Ille « nomina » iureconsultorum more, debitores vocat, et « interpellare », subinde creditum respescere.

Amicitiae personam detrahere. — Amicitiae personam detrahere dicimur, quum aperte quae sentimus animo, tum facimus, tum loquimur apud amicos, et quidquid in pectore clausum est, id prae nobis ferimus. Vultus enim ab animo discrepans personae verius est, quam vultus. Et eleganter a Seneca dictum est in Caesarem ut personam malit, quam faciem; id est, ut videri malit quam esse. M. Tullius (*Tusculan.*, V) scribit Epicurum tantummodo personam induisse philosophi; et Martialis:

*Mentiris invenem tinctis, Lentine, capillis.
Tam subito corvus, qui modo cygnus eras,
Non omnis fallis; scit te Proserpina canum,
Personam capiti detrahet illa tuo.*

Neque semper tamen persona sonat in malam partem; etenim quum scribit M. Tullius in

Officiis: « Ponit enim personam amici quum induit iudicis » non significat fictum amicum, aut fictum iudicem. – Est autem traductum a personis histrionum.

Amicos tragoedos aemulari. — Suidas adagium hoc e Didymo citat, addens dici solitum de iis qui sese accommodarent et morum severitatem sumerent, ad aemulationem aliorum. Ductum est ab histrionibus tragoediarum, qui quum sint levissimi nebulones, tamen ubi Deum aut regem agunt in fabula, tum cultu, voce gestuque maiestatem quandam imitantur.

DE POESI

II.

Poeticae facultatis natura.

POETICAE facultatis origine expensa, ad per spiciendam naturam accedamus; quo facilis de eius venustate, et gratia dijudicemus, quae tanta est, ut rapiat quodammodo animos, et sui admiratione percellat. Quae venustas, qui decor non elucet in tabulis manu magistra elaboratis, aut in signis graeca arte expressis, quibus praeter sermonem, et motum nihil ad vitam deesse videtur? Non pauci enim vero fatentur, quum animi causa graeca signa intuentur, aut in Raphaelis, in Titiani, in Dominici Zampieri tabulis immorantur, se numquam spectandi posse finem facere, et invitatos ab illo conspectu divelli. At eorum, qui eas artes excolunt, pace dicam, longe maximo intervallo picturae, aut sculpturae poeticam venustatem praestare. Ut id palam fiat, conferamus, si id vestro animo sedet, mirum artis opus cum insigni aliqua summi vatis narratione. Integer innumerabili annorum lapsu in vaticanis aedibus adservatur Laocoön cum geminis natis e marmore constitutus, graeci artificis signum eximium. Infelix miserrimae prolii pater immanibus efferi anguis spiris revinctus, quaerit lethales nodos divellere, et sanie, atroque veneno perfusus saluti suaे quaerit effugium: quum semineces, ac semesos ab angue filios conspiciat degluti. Arresti Laocoontis crines, oculi mortis horrore defixi, genae pestifero draconum halitu tabentes, os gementi, opemque imploranti simile, membrorum contentio, brachiorum, manuumque contorsio, articulorum hinc productio, illine contractio adeo naturae persimilis, ut Laocoön redivivus conspiciatur. Tantum decoris informi saxo manus argivae addidere. Iamvero eum vivida Laocoontis apud Vergilium hypotyposi quod signum par potest conferri? quam vehementiores in ista non excitantur motus? quot rerum adiuncta, quot varietates, quot novae rerum imagines non effulgenter, quas singulas in marmoreo signo non posse effingi affirmamus: in isto enim prostata unus aut alter tantum affectus, quem forma praefert, in illa vero tot, tamque varii, quot locutionibus, modisque dicendi ornatur descriptio. Primum enim animos prodigii narrandi expectatione arrigit Maro: sensus deinde pietatis erga parentem commovet, dum illum sacris

operari, et hostias solemini die ante residentes aras immolare narrat: quae divina res dum perficitur, duo dracones corpore immani a Tenedo ad iliacum litus adproperant: sanguineae iubae, et peitora summis undis emergebant, immensumque caudae volumen sinuantes, spirarum erectione, et depressione spumas maris ciebant. Oculi igne ardebant, mobilibusque linguis veneni tabe suffecta ora lambebant. Quum vero parva natorum corpora peti, ingentibusque spiris cernit constringi, periculi immemor advolat, at anguum hostia super semesos pueros corruit. Quis nisi ferreus hac imagine non commoveatur? Possem hoc loco, comitem Hugolinum fame in pisano carecere enectum, arte Leonardi Vinci eximia elaboratum, cum divina imagine a Dante Alighiero expressa conferre, possem raptum Proserpinae, Gigantum pugnam, Turni fatum, Aeneae Troia incensa fugam cum Ovidii, Vergilii, Lucani descriptibus componere, possem et alia artis monumenta, quae adservantur, in medium adferre, sed nota sunt vobis, neque tanta comparationum segete mihi apud vos dicenti opus esse existimo, ut evincam poeticae facultatis descriptiones venustate, et gratia cuivis vel peritissimi artificis pulcherrimo operi longe antecellere.

A. ANGELINI.

EX HISPANIA

De musica sacra apud Hispanos.

II.

IUDICES dioecesani, de quorum institutione in superiore numero diximus, ut studia sua de musica sacra probarent exemplis, accuratum invenire examen in pervulgata *Missa S. Cæciliae* dicta, cuius auctorem Gounod profitemur.

Recte illi praemittunt a se longe alienum esse iudicium prodere de merito vere ac proprius musicali, et nolle, nec ad minimum quidem, auctoris honorem exprobare. Praedicta *Missa*, eorum sententia, cum « Motu Proprio » pugnat in paragraphis II, n° 5, III, n° 8 et 9, et VII, n° 23. Si enim accurate hi perleguntur, omnes etiam in eiusmodi argumentis minus versati intelligent in *Missa eadem S. Cæciliae* transgressiones crebrescere, cum repetitione, postpositione et interpositione verborum liturgici textus; et liquido patere, auctorem tempori cedendo et mores persequendo iam aliquot abhinc saeculis toleratos, textum sumere non ut motivum princeps, sed secundarium. Inde hoc sequitur, quod cultus et liturgiae supremus scopus e medio discedit aureis musicæ vestibus involutus, quum huius officium non dominae et magistrale, sed ancillæ esse debeat.

Et sane, in « Gloria in excelsis » vocatum « Domine Deus », musicæ segregatum manet a puncto, seu ad minimum a commate, ita ut dicitur « Domine = Deus »; id est duo appellativa nomina exhibantur loco verbi compositi. Quum finem ponit in dictione « miserere nobis », quae immediate praecedit « quoniam » intercalat et addit, dum et phrasim musicam finit, verba

« Domine, Iesu ». In « Credo » integre phrasim musicam absolvit in verbis « et conglorificatur », et periodum incipit, non novam, quia deductam a themate, quod auctor evolvere studet, sed innovatam per *fortissimo* ab instrumentis musicis exequendum in verbis: « qui loquutus est per prophetas »; quae verba cum his aliis musicis iunguntur: « et unam sanctam », etc. In « Agnus Dei » auctor intercalat verba tantum proferenda a sacerdote « Domine, non sum dignus ».

Quod vero attinet ad musicum textum, praeclarissimi et naris emunctae viri gaudent confiteri pulcherrimum, elegans et grave esse opus, et etiam excellens si de eo, veluti « religiosa musica » tantum, iudicium editur; sed longe alienum a Pontificis mente si id nomine musicae sacrae cohonestari volumus.

Ut critici asserunt, praefata Missa Caeciliana comparari potest annulo splendidis adamantibus ornato, qui magni aestimabitur si eum in sponsae aut elati equitis digito accommodare eupimus; sed parvi pendatur utpote profanus nimis et superbus, si ad episcopi usum adhibeatur, et longe minus si ad Immaculatae Conceptionis imaginem aut Deum Trinum et Unum colendum inserviat.

Ad ea quae asserunt confirmanda, iudices sponte in medio afferunt circa Gounod a criticis huius conterraneis dicta; qui nec minimum suspecti sunt in Ecclesiae rebus. Michel enim Brenet (*Correspondant*, 10 dec. 1893) dicit: « Gounod non christiano, sed saeculi deliciis dedito, populum alloquitur per illecebras et cultae societatis obsequia; melle uititur ut sacrae potionis acerbitatem celet. Ille non dicit « fratres mei » sed « Equites »..., aut melius « Matronae ». Hugue Imbert (*Le guide musical*) sic ait: « Gounod magni pontificis Weimaritani vestigia sequens, Cl. Litz, hoc habuit dualismum: characterem mysticum et sensualem. Supremum et pulchrum scopum quaesivit in Ecclesia, qui sibi non satis arridet; etenim ad cultum Veneris rediit; acutum ostendit ingenium in his contrarie fluentibus propensionibus sociandis, et fluctus ab una et altera procedentes ita permiscentur, ut difficile evadat eorum discrimen ». M. René de Recy (*Etude sur Ch. Gounod*) asserit: « Gounod nos mire edocet quo modo divinus ac terrenus amor in suo opere perlueant et permisceantur... ».

Iudicium coetus plura edidit decreta, quae, si ad synthesim redigamus, ea facile videbimus referri ad approbationem musicae sacrae in ecclesiis exequendae; ad selectionem musicae sacrae, scilicet quod primas concedere debeamus partes cantui gregoriano (recenter edito nomine « Editionis Vaticanae »); ad prohibitionem instrumentorum absque venia dioecesana; etiamque hac obtenta excluduntur quaedam metallica instrumenta.


Miro aestu, ut in superiore numero diximus, Pontificis verba in Hispania accepta fuere; et non otiosa sunt verba: exstant enim plurima de hac re monumenta. Difficile in dioecesi barcinonensi aliquas invenies momenti ecclesias, ubi non stricte servetur quod a Pio Papa X olim praescriptum est. Catalogi quamplurimi exstant, ubi veram musicam sacram invenies editam, approbantibus et annuentibus iudicibus. Magni

creantur chori, quo graviter et solemniter concinantur Missae, quarum auctores Perosi, Palestrina, Foschini, Ferrer, Capocci... novimus. Monachi Sancti Benedicti vitam degentes in Caenobio Montserratino, qui ad hodiernam usque diem purum Gregorii cantum servarunt, Barcinonem aliquando ex his petiere, qui suas iungerent voces cum cantoribus Ecclesiae cathedralis; sieque solemnitatem simul cum gravitate praebarent in liturgicis actibus celebrandis.

AD GRAMMATICAES QUAESTIUNCULAM

RESPONSIO.

QUOD vir clarissimus P. De-Blasius opinatur (1), imperfectum potentiale decurtatum quoddam esse dicendi genus, pro plusquam perfecto usurpatum, haud extra controversiam esse arbitramur. Nam grammaticas quaestiones dirimi posse per contractiores dictiones, non expressis quibusdam rebus, sed intellectis, id in



Lacoontis statua in museo Vaticano asservata (Cfr. scriptum DE POESI).

Et haec sufficient ut, qui « diligunt decorum Domus Dei » ex animo et pro viribus dent operam musicae sacrae restaurandae.

Utinam exemplum hoc a nostro Episcopo praebitum in orbe terrarum personet, ut quo citius, ea quae in votis habet Pontifex Maximus fideliter in usum deducantur !

Modiliani scrips.

I. M. J. Sch. Piar.

Aetate fruere; mobili cursu fugit.
Optimos vitae dies
Effluere prohibe.

SENEC., Hippol.

sacris quidem aut iuris formulis, in proverbiosis in alisque peculiaribus casibus fieri posse dubitet nemo. At ellipsem revocare ad legem generalem praeceptumque *syntaxis*, non severe demonstratis transitionibus ex una in alteram formam, hoc alienum a scientia videtur, quia normae *syntaxis*, non decurtata aut subaudita interpretantur, sed indicant modos cogitandi varios, quibus variis sermones alter ab altero distinguuntur. Est enim sua cuique linguae indoles, qua saepe veteres toto caelo secernuntur a nostris; cui linguae stylo, uti vocant, investigando plurimam operam eamque felicis-

(1) Cfr. num. sup.

simam dederunt aetatis huius philologi. Ac mirum quantum lucis attulerunt recentiores grammatici, praecipue germani, quaestioni de modis ac temporibus Verbi latini; quorum studio effectum est ut, quae olim locutiones exceptionis loco haberentur, eae legitimae communis sint agnita. Non igitur ab usu italicico plusquam perfecti proficiscendum est, tamquam a communi principio et lege, cui aptari debeat etiam imperfectum latinum, nec idcirco si rem aliter se habere videris, illam esse exceptionem indicaveris. Causa enim discriminis tota est in ratione qua potentialis modus a latinis concipiebatur, a nobis longe diversa. Nostrae quidem consuetudinis est ita loqui: *li avresti detti canida caccia*, quia nos prae oculis habemus tempus quo accedit res, de qua loquimur. Contra latini, actionem praeteritam referentes ad tempus, quo ipsam narrant, sic habent: *Canes venaticos diceres*. Atque ita explicari posse credimus cetera omnia imperfecti potentialis exempla.

P. ANGELINI.

ACTA PONTIFICIA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPAE X

LITTERAE IN FORMA « BREVIS »
DE OPERE A « PRAESERVATIONE FIDEI »
NUNCUPATO.

PIVS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Opus a *Praeservatione Fidei*, optimo et peropportuno consilio Nostri predecessoris incliti institutum, quam valde Nobis cordi sit, nihil attinet dicere. Etenim, quum eo pertineat, ut populum romanum praestet ab haereticae pravitatis contagione liberum, rem persequitur eiusmodi, quae vigilantiae studioque Pontificis Maximi proposita esse in primis debeat. Nequit similiter dubitari quin hoc ipsum provehere ac sospitare opus catholicos omnes deceat. Profecto, quisquis catholicum digne nomen gerit, commoveatur necesse est hoc maximo acerrimo bello, quod adversum christianam sapientiam ideoque contra Pontificem Romanum, utpote summum traditae a Christo veritatis custodem, ardet. Iam hic de ipsa sacra potestate Pontificis agitur; quam quidem acatholice coniuratae asseclae sectarum evertente non dissimilanter contendunt. Iamvero nihil volunt studente aliud Novatores, summe hi quidem inter se haeresum varietate discordes, in hoc autem uno coniunctissimi, ut Beati Petri Cathedram impugnant. Itaque iamdudum, Romae multo magis quam usquam alibi, postquam scilicet in Urbe catholici orbis principe veritati et errori promiscua sunt publice attributa iura, nituntur, quibus valent opibus, pravisque omne genus artibus, imperitos praesertim egentesque capere: confisi, se posse aliquando in ipso Ecclesiae centro labefactare Pontificis auctoritatem, quo deinceps usquequa facilius ipsa concedat. Utique haec sunt, Dei beneficio, vota peritura; siquidem *portae inferi* aduersus Ecclesiam, quae in Petro et successoribus eius fundata est, sponsore Christo, *non praevalebunt*. Sed tamen haud frustra inimicorum Fidei est opera, quoad ad perniciem spectat animarum. Quod si dolori Nobis est, quempiam a fide sancta deficere, multo est magis paene in conspectu Nostro id fieri, praesertim quia non sine gravi multorum offensione fit. Quotquot igitur cum proximorum salute

honorem Ecclesiae communis omnium parentis diligunt, et Iesu Christi Vicarium colunt atque observant, consentaneum est velle Operi, de quo loquimur, adiumenti aliquid afferre. Evidem novimus in hac re neque studium, nec largitatem usque adhuc nostrorum defuisse; fructusque gratulamur exstisit his paucis annis non exiguo. Verum quia multum etiam coandum restat, ut par sit necessitati remedium, idcirco bonorum magis excitari atque inflammari studia intelligimus oportere; eiusque rei gratia caelestes Ecclesiae thesauros, quorum penes Nos dispensatio est, libentissime reseramus. — Itaque de Omnipotenti Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui tam frugifero Operi nomen suum dederint, die prima eorum adscriptio vel alio quolibet die intra mensem proximum, ad cuiusque lubitum eligendo, si admissorum confessione rite expiati, quovis in templo sive publico Oratorio ad sacram synaxim accedant, et addita salutatione angelica, quocumque idiomate dummodo versio fidelis sit, piam hanc precem devote recitent: *O Maria Immaculata, vosque Apostolorum Principes in vera nos fide retinet: indulgentiam plenariam; ac tam inscriptis quam in posterum inscribendis eodem in pio Opere sociis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel saltem contriti quatenus id agere nequierint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, ac tanquam peccati stipendum mortem suscepient, etiam plenariam; tandem iisdem nunc et in posterum pariter ipsum in Opus rite adlectis sodalibus, qui item sacramentali admissorum confessione expiati atque angelorum pane refecti, quotannis diebus: VIII mensis Decembris festo Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis, Operis patronae caelestis; XXIX Junii festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, item patronorum Operis; VI Ianuarii, in Epiphania Domini; XIX Martii festo S. Ioseph B. M. V. Sponsi; XXVI Maii festo S. Philippi Nerii; ac XXIX Septembribus quo festum agitur S. Michaelis Archangeli, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, et similiter in utroque festo septem dolorum B. M. V. ab ortu usque ad solis occasum dierum ipsorum, templum aliquod publicumve sacerdum visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione ad Deum preces effundant, et orationem de qua supra habita mentio est, ad veram fidem retinendam, salutatione angelica praemissa, recitent, quo ex praefatis die id agant, similiter plenariam admissorum omnium indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. — Insuper iisdem sodalibus dicti pii Operis nunc et in posterum existentibus, quoties convenientibus aut communibus Sodalitii aut privati Comitatus interfuerint, dummodo contrito saltem corde ibi recitent supra memoratam precem cum salutatione angelica, de numero poenitium in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas; quoties autem pro Fidei praeservatione aut eamdem precem cum salutatione angelica recitent, aut iuxta Sodalitii tabulas pietatis quodvis sive caritatis opus exerceant, toties de poenitium similiter dierum numero in forma Ecclesiae solita trecentos expungimus. Porro largimur sociis ipsis, si malint, licere plenariis supradictis ac partialibus indulgentiis, excepta plenaria in mortis articulo lucranda, functionum vita labes poenasque expiare. — Sacerdotibus autem qui eiusdem fuerint Operis nunc et in posterum participes illud concedimus, ut quandocumque sacrosanctum Missae sacrificium pro animabus Christificium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, ad quodlibet altare celebrent, Missae sacrificium huiusmodi, ter tantum singulis hebdomadis, animae sive animabus pro qua vel quibus celebratum fuerit perinde suffragetur ac si foret ad privilegium altare peractum, dummodo tamen alio simili induito non fruantur. — Sacerdotibus vero qui sint, vel in posterum erunt de sodalium zelatorum numero, haec quae infra scripta sunt privilegia tribuimus, modo tamen a suo quisque Ordinario, et bene de Operi meriti reapse habiti sint, et licentiam in scriptis acceperint, quae quidem si desit, horum privilegiorum*

concessionem nullam esse volumus. His igitur damus et concedimus:

I. Ut, si tamen sint ad sacramentales confessiones excipendas rite adprobati, possint ex ritu praescripto, privatim extra Urbem benedicere Cruces, Crucifixos, saneta Numismata, Coronas precotorias et parvas Domini nostri Iesu Christi, Bñae Virginis Mariae, Sanctorumque ex metallo statuas, cum applicatione omnium et singularium indulgentiarum, quae in elenco, typis edito S. Congregationis de Propaganda fide die XXVIII Augusti anno M DCCC III, continentur, et quod ad coronas precotorias attinet, non excepta indulgentiarum applicatione quae a S. Birgitta nomen habent.

II. Ut, si pariter sint confessarii ab Ordinario adprobati, consueto ritu benedicere et fidelibus imponere possint scapularia Confraternitatum SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, Septem Dolorum, et Immaculatae Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae, atque etiam scapulare Mariae Salutiferae, cum communicatione privilegiorum et indulgentiarum, quibus adscripti memoratis Sodalitatibus fruuntur et gaudent, dummodo vero scapularia confecta sint ad normam a Sancta Sede probatam, et iis tantum in locis, ubi non existent domus Ordinum Religiosorum, ad quos ex speciali concessione Sedis Apostolicae pertinet dicta scapularia benedicere et imponere.

III. Ut Christifidelibus, in mortis instantis discrimine versantibus, si vere poenitentes et confessi et S. Communione refecti, aut si id facere nequierint saltem contriti nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendum de manu Domini patienti animo suscepient, Benedictionem Apostolicam Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine et auctoritate, cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissione impetrare possint, servatis tamen ritu et formula a f. r. Benedicto PP. XIV decessore Nostro praescriptis.

Haec ad incrementum saluberrimi Instituti valere posse confidimus, quod ipsum de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, statuimus et declaramus esse in suo genere primarium. Propterea Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Consilium seu Commissionem Operis constituant, potestatem iam ipsis a Nobis adtributam confirmamus similia ex toto orbe Instituta eidem primario Operi, cum communicatione omnium Indulgientiarum et privilegiorum, quae sint communicabilia, aggregandi; servatis tamen forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri f. r. aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis. Non obstantibus constitutione Apostolica de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque contrariis quibuscumque. Praesentibus valitatis in perpetuum. Volumus autem, ut harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu aliqui Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constituae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi praesentibus ostensio haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscoloris die I Novemboris, festo Sanctorum Omnis, anno M DCCCC V, Pontificatus Nostri tertio.

Loco ✡ Sigilli.

A. CARD. MACCHI.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Indicis.

Damnamur, proscribuntur atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandantur quae sequuntur opera: ONIELLO LIZZOCCI. - *Nuovi orizzonti filosofici, ossia avviamento a nuovi studi di filosofia*. (Pistorii edid. G. Flori et soc., 1904). - Dr. FRANCO MAGGIONI. - *Questioni delicate*. (Romae edid. Forzani et soc., 1904). - (Ex decr. d. xv mens. Decembr. an. M DCCCCV).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum:

Vicarius Capitularis, quando aliquem Episcopum vicinorem invitat ad Missam et Vespertas ut pontifici rito concelebret, non potest ille concedere thronum neque baculum pastorale, nisi usus baculi requiratur ex Rubrica, uti in consecratione ecclesiarum. (Ex deer. d. IV mens. Novembr. an. M DCCCC V).

— Ius praecedentiae in Processionibus competit Tertiariis S. Francisci quum iidem collegialiter incedunt sub propria cruce, etiam quum neque Terti Ordines neque confraternitates aut sodalitates laicæ veste uniformi (vulgo *sacco*) utantur, quamquam Tertiarii cuiusque Ordinis et confraternitatum sodales hortandi sunt, ut vestem integrum, vulgo *saccum*, in Processionibus ex antiquo et laudabili Ecclesiae more velint assumere. (Ex deer. d. X mens. Novembr. an. M DCCCC V).

— Ius praecedentiae competit confraternitati SS. Sacramenti super alias sodalitatem in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia, reservata iugiter praecedentia fratibus cuiusvis Terti Ordinis. (Ibid.).

— In Missis defunctorum omnia paramenta tum altaris, tum celebrantis et ministrorum, librorum et faldistorii sint nigra, et in his nullae imagines mortuorum vel crucis albae ponantur, neve in dictis paramentis repraesentetur calvaria cum ossibus decessatis defunctorum. (Ex deer. d. XXIV mens. Novembr. an. M DCCCC V).

— Palla calicis in parte superiori poterit esse coeperta panno serico, aut ex auro vel argento et acu depicto; non quidem nigri coloris, neve cum aliquo mortis signo. Palla vero subnexa ea sit quae calicem coepriat, atque linea, munda ac facile amovibilis. (Ibid.).

— Si quis moriatur feria IV Maioris Hebdomadis ac sepeliatur feria VI in Parasceve Domini, prima dies liturgice non impedita, qua eius Missa exsequialis solemniter peragi possit est feria II post Dominicam in Albis. (Ex deer. d. XXIV mens. Novembr. an. M DCCCC V).

— Missa exsequialis solemnis vel cum cantu, ob impedimentum liturgicum ultra biduum a sepultura translata, celebrari hand potest in diebus duplicita II classis excludentibus. (Ibid.).

— Missa de Requie pro prima vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium non potest celebrari infra octavam Epiphaniae; potest contra celebrari infra Octavas Nativitatis Domini et SS. Corporis Christi (excepta tamen die octava Corporis Christi), ubi haec non est privilegiata ad instar Octavae Epiphaniae. (Ibid.).

DIARIUM VATICANUM.

(Die XXI Dec. M DCCCC V — d. XX Ian. M DCCCC VI).

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui cuiusque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Patritius, Urbanus Marchio, S. R. E. signifer; Sacer Senatus legatus omnes exterrarum gentium apud Apostolicam Sedem, ac Pontificiae militares copiae omnia in novum annum offrentes; Edmundus Obrect, Abbas Generalis Ordinis Cisterciensium reformatorum; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, eiusque familia; Balthasar Capgrossi Guarna, Comes, Philippus Pacelli atque Octavius Pius Conti, S. Consistorii Advocati; Carolus Lepri, Marchio; Ambrosius Caccia Dominionis, Comes, eiusque familia; Franciscus Borghese, Princeps Romanus, Bomartii Dux; Sigismundus Malatesta, Comes, eiusque familia; Maurus Tinti, Cisterciensium abbas; Bernardus Marechaux, Procurator geflisi Congregationis Olivetanae; Orsini, Urbana princeps foemina; de New-Castle, nobilis foemina, eiusque liberi; Benivoglio de Aragonia, Marchio; Sgray de San Marzano, Comitissa; Victorius Groppello, Comes, eiusque familia; De Leininghen, Comes; Robertus de Ribacourt, Comes, cum uxore; nobilis foemina De Antas, Lusitani legati apud Apostolicam Sedem uxor; Caesarinus princeps; De Erp, Dux foemina; Hispaniae

legatus apud Apostolicam Sedem; magna denique pompa, excusus vir Paulus Petrus XII Sabbaghian, Armeniorum Ciliciae patriarcha.

Pontificiae electiones.

— Excusus vir Gaspar Bova, episcopus Samaritanus, coadjutor Panormitani archiepiscopi confirmatur.

— R. vir Ioannes Muzzitelli e Somascorum familia a consiliis S. C. Concilii Tridentinis decretis interpretandis deligitur.

— R. vir Dominicus Gualtieri a secretis Apostolici Nuntii apud Lusitanos, Monachium in Bavaria mittitur, tamquam Pontifici legati illuc « auditor ».

— R. d. A. Rella, gregoriani cantus magister, alter a Xystinae cappellae moderatore dicitur.

Vita functi viri clariores.

Die XXI mens. Ianuarii an. M DCCCC VI Hispani in urbe Marcellus Spinola y Maestre, illius dioecesis Archiepiscopus et in Sacrum Senatum recentissime cooptatus. De viro haec quae sequuntur legimus apud « Relationem Actorum in Consistorio secreto d. XI mens. Decembr. M DCCCC V »: « Natus est in insula S. Ferdinandi, in dioecesi Gadicensi, d. XIV mens. Ianuarii M DCCC XXXV ex illustri familia Marchionum Spinola, ac, studiis philosophiae absolutis in Granatensi universitate, ac litterariis in Valentensi, Hispani iurisprudentiae lauream maximo cum honore obtinuit. Iure primogeniturae abdicato, die IIII mens. Iunii M DCCC LXIV presbyter ordinatus est. Innumeris exantlati operibus christiana caritatis et apostolici ministerii, a Leone XIII s. m. Episcopus Milen. electus est, auxiliaris Archiepiscopi Hispalensis renuntiatus. Anno vero M DCCC LXXXIV translatus ad sedem Caurien. et anno M DCCC LXXXVI ad Malacitan., dein plausu universalis ad cathedralis Hispalensem. Post plurima et quidem mirifica ibique patrata opera, nunc praemium a SS. Dño recepit et purpura insignitus est ».

Varia.

Die XXI mens. Decembr. in Xystino sacello SS. D. N. Pius PP. X consecrat Othocarmum Prohasgka episcopum Albae Regalen., Lodovicum Balás, episcopum Rosnavien. et Iulium Zichy episcopum Quinque Ecclesiast.

— d. XXX vulgatur a S. Sede liber vulgo « albus » de dissidio inter ipsam et Gallorum gubernium.

PER ORBEM.

Mense Decembri M DCCCC V d. XXIII « La Basse Terre » in urbe Guadalupensis regionis, incendium, dolo prouti creditur, excitatum, thesauri aedes devorat.

— d. XXIV Barcinone impius quidam anarchista in Eum Archiepiscopum Salvatorem Casanas y Pagés armata manu impetum facit. Tempestive exarmatus ac postquam vidi facinus bono alite vanum factum, veneno sibi mortem consciscit.

— d. XXVII La Rochelle in oppido opifices carbonarii addicti ex condicto laborem deserunt, tumultusque excitant, vix militari manu cohobitos.

— d. XXIX Hennebont urbis in aerariorum furnis dum operari aliquot in liquefaciendum calybem incumbunt, ob fractam ex improviso machinam carenti flumine rapiuntur, misereque vitam amittunt.

Annonae caritas ac pestis ex occidentali Iaponia nunciantur.

— Mense Ianuario M DCCCC VI d. II Cinthiani, in Potentina Italiae provincia, labes fit, decem et ultra domus earumque incolas in ruinam trahens.

— d. IV Masaya, Nicaraguana civitas, terrae motu ignibusque e vertice Sandrago montis eruptis vastatur magna hominum caede.

— d. VI ingentibus procellis effusus imber Angliae litora late pervastat.

— d. VIII Brugis navis petroleo onusta praeda fit ignis, qui brevi ad nonnullas domus iuxta portum propagatur, multa rerum iactura.

— d. XI dum cuniculus ad electricam ferriviam inter oppida Pyrenaeorum orientalium Villefranche-Leconflent et Bourg Madame agitur, terra labitur, operarios triginta circiter sepieliens.

— d. XII in Senegalensi regione Gueira, incolae, fanatico errore ducti, in vigiles insurgunt eosque ad caedem trahunt.

— d. XV Alfonsus, Hispanorum rex, legem sancit de ferrivia per Pyrenaeos montes deducenda.

— d. XVI Korn doctor coram sodalitate electrotechnica Monacensi studia sua exponit, ut telegrapho imagines photographicae expressae transmittantur.

Schultz, Monacensis doctor, et Gehre, Pullensis, de novo pyrogranae a se invento genere referunt, longe ceteris mortifera vi superiore, quam *Vigoritem* appellant.

— d. XIX Bonaërensi in urbe supremum obit diem Mitre imperator, olim Argentinae reipublicae praeses.

ANNALES.***Algeciranus coetus.***

Coetus legatorum, qui ex Americae Septentrionalis foederatis civitatibus exque Europae gentibus Algeciras ad portum convenere, ut de Mauritani imperii fatis decernerent, iam denique suas quotidie sessiones habet. Algeciras parva urbs tantam quidem famam numquam alias adepta esset: nemo enim antea nominavit, licet ea quam maxime Gibraltariam prope, Anglorum oppidum fortissimum, in litora renideat, atque proelium inter Gallos Iberosque et Anglorum classem Nelsonio duce pugnatum prope viderit. Modo itaque convenere populorum legati, quorum praecipui oculos in sese convertunt Galli atque Germani, num acriorem forte suo in animo discordiae causam abdant. Coetus autem Iberus legatus praeeest Almodovar del Rio dynasta, qui auguralem iam orationem habuit optimum pacis servandae auspicium. Dum scribimus de bellicis praedis argumentum tractatur.

***Ibericae regales nuptiae.***

Non tamen hic coetus Iberorum animos commovit; nuptiae enim regales totius populi cum omnibus celebratae sunt Madriti in regalibus aedibus, sororis Alfonsi regis, quae Asturiensem principatum obtinuit, cum altero ex Bavarii regis liberis. Splendorem atque divitias nuptialis coeremoniae quis audeat enarrare? Illuc enim omnes Ibericae aulae nobilissimi optimates

atque exercituum duces et Bavarii regni ceterarumque gentium legati, et quatuor insuper Iberici Purpurati Patres congregati sunt, quorum princeps, Toletanus Archiepiscopus, nuptiis benedixit. Quid autem erit, quem Alfonsus ipse brevi, ut dictitant, uxorem ducet, Battembergii principis filiam?

Gallorum novus praeses.

In Gallia sine ulla gentis perturbatione peracta reipublicae praesidis electio est. Loubetii in locum, ad septennium creatus Fallières, qui senatui praeerat, et cui factio potius quae hactenus vicit fovebat, contra Doumer alterius factionis candidatum. Quam plane electionem quamquam omnes iam praenunciaverant, illis optime satisfecit, qui sua consilia de bello contra Ecclesiae potestatem persequendo minime dimittunt.

Venezuelani errores.

Quae iamdiu orta erat Gallos inter atque Venezuelanos incolas latens discordia ad triarios deductam proximis diebus vidimus. Venezuelani enim magistratus gallicum legatum Taigny, qui Gallorum iura detestaturus eo prefectus fecerat, sua ex navi ut descenderet minime siverunt. Quamobrem ob violatum aperte nimis gentium ius, Venezuelanum Lutetiae legatum Gallicae reipublicae praesides dimiserunt, et ad Belgarum fines eiecere.

Hungaricae res.

In Austria Franciscus Iosephus Imperator Gautschio dynastae supremum Imperii torqueum decrevit, quo palam suum consilium de rogatione ad ius suffragii civibus omnibus vulgandum sibi placita faceret, quae quidem tum populorum legatis, tum senatoribus facile probabitur. Sed in Hungaria passim novae discordiae ortae sunt, quum Hungarorum plebs imperii fautoribus obstare videatur. Telegraphicis immo nuntiis accepimus, Kovacs praefectum antequam suam in sedem perveniret occisum fuisse. Modo novi milites novaque arma mituntur, ne pax ultra subvertatur, atque Fejervaryus dynasta imperatorem rogavit ut militari lege urbs Hungariae caput regeretur. Simul vero et Iosephus Augustus arcdynasta eo prefectus est, ut adversae factionis principum Appony et Andrassy operam invocaret, qua quidem in mitiora consilia populus sit addendum.

Russici motus.

In Russia tandem novo Caesaris edicto popularium legatorum coetus brevi cogetur. Huius comitiis pacem tandem reddituram sperant, quae hactenus ubique proeliis et sanguine eversa est. Licet enim perdomita Moskowitarum seditione, quies ubique non est restituta; quinimo novis-

sime comperimus per Siberiam omnem, latissimam regionem, novae seditionis pericula flagrare, quae mox iterum armis et sanguine compescenda erunt. Quibus adhuc fit ut omnium gentium unum idemque auspicium, ut nobilissimum imperium tot hactenus infortuniis affectum, pace tandem atque libertate civili vita bono regatur, in dies undique renovetur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In **Anglia** legatorum popularium electiones ubique habitae sunt, quae tandem *liberali* quam dicunt, factioni omnino propitia evaserunt. Maximam autem victoriam socialistae sibi pararunt, qui quum tredecim tantum legatos habuissent, quinquaginta modo habent. Chamberlainius autem eiusque fautores nullum suffragium amiserunt.

In **Austria** ad diem mens. Ianuarii trigintam primam legatorum popularium sessio indicta est, ut praesertim de rogatione circa delectum militarem habendum disceptetur, cui Hungarici motus praecipue adversantur. Interea nova rogatio de dilatando iure suffragii a Gaustch dynasta paratur.

In **Dominicana republica** ob seditionem a Caceres, altero a praeside, motam, Moralius praeses captus atque vincitus est et coram iudicibus adductus. Caceres autem praeses eius loco electus.

In **Gallia** Senatorum electiones habitae; quibus peractis eadem omnino factionum conditio atque vis permanserunt.

In **Germania** imperatoris decreta edita, quibus futurae sessionis legatis popularibus initium indictum est. Coacta itaque sessio iam primum fuit, cui de re oeconomica brevi decernendum erit: quam circa socialistarum factio parum concors cum ceteris, administratorum placitis acriter obstabit.

In **Iberia** rogatio municipum coram legatis oblata est de criminibus contra patriam atque exercitus aspere puniendis. Plurimi vero prae-nunciant fore ut regni administrari brevi suum munus derelinquant.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

PR. A. MACÉ. *La prononciation internationale du Latin au XX^e siècle.* Romae, ex off. R. Academiae Lyncaeorum, 1905.

La confessione sacramentale nella Chiesa primitiva per l'ab. E. VACANDARD. Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., 1905. (Ven. lib. 0,60).

L'influenza della religione sull'arte di A. RENUCCI. Ibid. (Ven. lib. 0,60).

L'incendio Nerionario e i primi Cristiani di P. AL-LARD. Ibid. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA.

I.

Duarum sum syllabarum
Animal anhibium;
Signum doloris inseras:
Habes clarum oppidum.

II.

(Heic litterae nominum incipientes dant titulum tibi noti commentarii).

- Aedes recreationis.
- Mundi est pars solaris.
- Celeber dux belli.
- Notum corpus caeli.
- Caput orbis noscis certe.
- Virum denotat diserte.
- Summus deus paganorum.
- Pulchra terra Romanorum.

F. NAV. OLOM.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

THOMAE VALLAURI
DE RE EPIGRAPHICA
ACROASIS.

Aenigmata an. VIII, n. XI proposita his respondent:

1) *Malus, Mala, Malum, Malam.* 2) *Garum-na.*

Ea rite soluta miserunt:

Senior Astensis. — Renk par., *Davenportu.* — Car. Stegmüller, *Sabaria.* — I. Ortiz, *Moretia.* — G. Lamental, *Parisis.* — F. Arnori, *Mediolano.* — G. Weiss, *Geneva.* — I. Guerra, *Aetio.* — Ric. Brondel, *Brugis.* — Petrus Tergestinus. — V. Starace, *Neapoli.* — I. Walter, *Neo-Eboraco.* — Am. Robert, *Marieville.* — G. Vallas, *Corduba.* — Ric. Müller, *Berolino.* — Coll. Scholarum Piar., *Stella.*

Sortitus est praemium

AMEDEUS ROBERT,

ad quem missum est opus, cui titulus:

DE HERMOCRATE
SYRACUSANORUM IMPERATORE
EIUSQUE REBUS GESTIS.
LIBRI QUINQUE
Auctore Ioanne de Casamichela.

EPISTOLARUM COMMERCII.

Cl. v. V. PI..., Benesov U Prahy. — Quae in superiore numero cl. v. Fr. Pri., in hoc tibi dicta sunt.

Cl. v. HERM.... ATZ....., S. Leonhard. — *Nobiles aulici* Romae dicuntur Purpuratorum Cardinalium aulae tum ecclesiastici tum laici addicti. Eos Urbanum collegium constituere ex hoc praesertim patet, quod suam ecclesiam habeant; neque ideo absonum est proprium e Sacro Senatu protectorem iis adsignari. Utrum autem Episcopi cuiusquam familiares hoc titulo gaudere possint vel in collegium adscribi; quae honoris insignia aut iura nobilium aulicorum sint, quibus meritis nomen acquiratur, ignoramus prorsus.

SOCIO POLONO. — Iam novimus Pontificis verba haud recte apud Polonus plures intellecta; post vero Archiepiscopi Leopolitani explanationes «authenticas», quinam ultra dubitationi locus?

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis*, Phil. Cuggiani.

Z E N O

TRAGOEDIA IOSEPHI SIMONIS ANGLI.

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.) (1).

ARGUMENTUM.

Anno a partu Virginis cccc xii Zeno genere Isaurus, homo luxuria atque immanitate infamis, Orientis regebat imperium. Is quum accepisset ab astrologis morte se violenta opprimendum, tentavit varia Procerum caede vel fatum eludere, vel, quod proximum erat, Longino fratri, libidinis item ac feritatis portento, imperium confirmare. Erant in aula tunc diversissimi ingenio atque studiis viri: Harmatius in primis, belli dux, armis inclutus, natura praefervidus, cuius ope Zeno Basiliscum tyrannum oppresserat; et Pelagius patricius, vir aequitate summa et constantia. Hos aliosque, quorum opes eminebant, fratris hortatu, Zeno interficit. Unus Anastasius, subdolus et vafer, simulatione antiquae simplicitatis omnem suspicioni locum ademerat. Is igitur, imperii avidus atque Ariadnae imperatricis apprime carus, consiliorum administrum Urbitium profligatae nequitiae hominem adsciscit, cuius opera quum aulam varie miscet, tum Zenonem ipsum vivum sepelit, retractumque ex fuga Longinum capite plectit. (Ex hist. Niceph., Procop., Evag., Zonar., etc.).

TRAGOEDIAE PERSONAE.

UMBRA BASILISCI TYRANNI (quae scenam I, quasi *prologum agit*).
ZENO IMPERATOR.
LONGINUS, Zenonis frater.
HARMATIUS, militiae praefectus.
BASILISCUS, Harmattii filius.
PELAGIUS, patricius.
ERASTUS, Pelagi filius.
EUPHEMIUS, patriarcha.
ANASTASIUS, Procer.
URBITIUS,

SEBASTIANUS, Procer.
PROCLUS, »
PHILARGUS, »
GAZAEUS, rhetor.
EUPHEMIANUS, magus.
CASTOR, tribunus militum.
PHILARCHUS, centurio.
PUPILLI, EPHEBI, MILITES, quorum nonnulli tantum loquuntur.

Actio geritur in regiis aedibus Zenonis.

ACTUS I.

SCENA I.

UMBRA BASILISCI TYRANNI (2).

Compesce murmur aeris infausti, tuba.
Silete, cantus. Aufer hinc regni notas;
Male auspicati specimen Imperii procul
Eripe, iuventus. Ite, sanguineae domus
Monumenta, triste sortis augurium meae.
Devota furii decora, queis merui Stygem.
Non hanc, sepulta noctis excessi Chao,
Visurus aulam; regna bene novi mea,

(1) De suis tragœdiis « Romæ, Neapolí, Hispali, Audomari et alibi saepius cum plausu exhibitis » atque in Urbe typis haeredum Francisci Corbelletti editis an. MDC XLVIII, haec auctor ipse adnotat, quae nos referre non inutile putavimus: « Ad Lectorem. — Verbo te monitum volo, Amice Lector, tragœdias has actioni potissimum ac theatro destinatas fuisse. Hinc pro Choris data interludia; hinc Personarum eventorumque varietas maior, quam quae apud antiquos. Ita nimirum, veteris tragœdiae legibus benignius explicatis, novi saeculi fastidio consulendum fuit ».

(2) *Dum aulaeum dimovetur, clangit intus tuba.*

Erebi theatrum. Ducibus Eois, novum est
Ad sceptra, festo pacis ascensu, gradi.
Per fanda, per nefanda, per scelerum struem,
Per fraudis artes, perque periurae dolos
Mentis, per odia, per novercales plagas,
Per bella, flammas, vulnera, cruentum, neces,
Iter est ad altum gentis Eoae thronum.
Haec me superbas duxit ad sedes via;
Hac et volutus, mergor in Stygem ultimam.
Sic, sic feratur quisquis Imperii decus
Anhelus ardet; calle non sueto ruis,
Longine. Nondum claustra nocturni Iovis
Megaera rupit, agmen Eumenidum trahens.
Non alta furias sensit ultrices domus,
Non flammam, et iras, non ineluctabilem
Fati procellam. Stagnet insontum prius
Cruore tellus; aggerat caedes furor;
Spargantur astra sanguine; umbrarum gemat
Sub onere vasto cymba Tartarei senis;
Tunc auspicare sceptra, tunc ostrum rape (1).
Age, tuba; versis omen auspiciis cane.
Iam scena noctem denset, ac furvus locum
Obvelet horror. Stent sepulcrali situ
Vacua sub astris busta, ferales tori.
Oculis triumphum grator, hic aulae color,
Hic esse regno faustus ineunti solet
Ornatus, haec auguria. Iam celera gradum,
Ades, Megaerae pignus, Acherontis nepos,
Cruente Zeno. Cerne inexpletae domos
Mortis: per aedes funera insontes eant;
Sparsus cruentum societ innocuum cruentum;
Hunc funis, illum sica, medicatus necet
Alium Lyaeus (2). Testor Umbrarum chaos,
Haud ante Phoebus promet et condet diem,
Quam paria paribus funera aequabis toris.
I nunc, et ore fata mentito exige.

SCENA II.

ZENO — EUPHEMIANUS, magus.

ZEN. Tacete, Superi; Vosque stellantis plagae
Ignes, tacete. Fas sit Augusti iubar
Rudique, vultus clepere Caesareos, toga.
Res agitur ingens. Animus, impulsu furens,
Fati minacem saepe praesagit diem.
Vivus perire videor; ignoro tamen
Quid extimescam. Rosea seu lucem vehat
Aurora, noctis biga seu tenebras agat,
Mens inquietas se per ambages rotat,
Trepidatque fati segnis interpres sui.

(Ad proximum numerum).

(1) *Lugubre sonat tuba; tenebrae supervenient.*

(2) *Apparet Zeno mutatu habitu ac furtivo incedens passu. Umbra eum videt, exsecratur, ac deinde recedit.*

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii *VOX URBIS* administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad *VOCIS URBIS* administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset: de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii *VOX URBIS*, paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

👉 IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. 👈